



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**S. Augustinus, Episcopus in Africa Hipponensis, Veritatis
Evangelico-Catholicæ In Potioribus Fidei Controversiis
Testis Et Confessor, Contra Bellarminum Et Alios
Scriptores Papæos, antiquos pariter & ...**

Reiser, Anton

Francofvrti, 1678

Lib. III. cap. 5. de Schismaticis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72506](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72506)

Hoc testimonium eò majoris æstimandum, quod à *Gratiano* Corpori Juris Canonici legitur insertum. E libro de Unitate Ecclesiæ, *Quisquis contra Veritatem, quæ convincitur & arguitur, inimicum gestat animum, jam præcisus est &c.* E citato supra de Hæresibus libro, *Donatista post causam dictam atque finitam, pertinaci dissensione firmata, schisma verterunt in hæresin.* In specie ex hujus Textus, qui sub initium libri de *Veritate credendi* legitur, intentione, & cum reliquis collatione, respondeo, inquit Anatomicus, *primò*, Augustinum hinc intendisse sibi conciliare benevolentiam sui quondam Amici, nimirum *Honorari*, ad quem hoc opus de *Veritate credendi* scripsit, seu cavere ab ejus exacerbatione, odiosâ hæreseos criminatione; quod quidem consultissimum est, scribit Franciscanus, quantum salvâ Veritate & absque scandalo potest fieri. *Secundò*, Augustinum hæc non scripsisse ex communi quâdam ac simili de omnibus præsumptione, sed ex singulari sui quondam Amici notitia ac experientia. *Tertiò*, tantam difficultatem illam non esse definiendi ipsam hæresin aut hæreticum in genere, sed vel ita comprehendendi omnes hæreses, ut neq; quid deesset, neque redundaret; vel præcise comprehendendi ac distinguendi materiam seu doctrinam & errores hæreticos à non hæreticis; vel condemnandi hæreseos certas personas non, nisi ex aliquâ præsumptione meritâ & certitudine morali; vel denique ex familiari quâdam Augustini modestia & humilitate. *Quartò*, videri quidem hic præcipuè definiiri Hæresiarchas, eorumque complices ac Ministros, reverâ tamen extendi posse ad omnes hæreticos, quia nullus sit talis, quin sit pertinax; nulla autem videatur esse pertinacia posse, nisi ex vana quâdam Gloria seu complacentia & adfectione opinionis propriæ. Unde quamvis hæc pertinacia non ita verbatim exprimat in se, satis tamen exprimitur in suâ hac causa & origine. *Quintò* tandem, quod, quamvis externa præsumtio sit contra plerosque hæreticorum sequaces, spem privatam tamen & internam esse posse pro multis talibus, de quibus locis supra citatis Augustinus. His, & quæ *Epitomator* amplius subjungit, unicum addo ex opere de *Civitate DEI* testimonium, quod ab Eo prætermisum miror, cum tamen ante cætera debebat adduci, quia instar omnium potest esse: *Qui in Ecclesiâ Christi morbidum aliquid pravumque sentiunt, si correpti, ut sanum rectumq; sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera & mortifera emendare nolunt Dogmata, sed defensare persistunt, hæretici sunt.* Plura qui desiderat, sitim delere potest ex opere *Concordantiarum Augustini Parisino.* Hæc autem nunc sufficiat addidisse ad sententiam Patris augustissimi in gratiam Veritatis Evangelicæ defendendam contra Bellarminum & sequaces.

lib. 18.
cap. 15.

CAPUT QUINTVM,

DE

Schismaticis.

vid. P.
Marcæ de
Conc. Sa-
cerd. &
Imp. lib.
IV. cap. 8.
num. 3.

Quia non planè nulla est inter hæreticos & schismaticos differentia, ideò de his quoque, quam de illis aliter statui debet. Potest esse quis hæreticus in Ecclesiâ occultus, id quod de schismatico quâ tali non potest dici. Dum verò & schismaticorum non una eademque est ratio, non uno etiam eodemque modo considerandi sunt. Attendenda hic præprimis est inter Schismaticos activos & passivos distinctio. Illos propriè, non hos Ecclesiam scindere, nemo non videt. Schisma Paschale, quod olim Ecclesias Orientales ab Occidentalibus scidit, tale non fuit, ut, qui vel his vel illis adhæserunt, extra Ecclesiæ gremium vivere dici potuerint verè. Schisma Anabaptisticum, quod Cyprianum & Stephanum, illum Carthaginensem, hunc Romanum Præsullem non paucò tempore exercuit, neque hunc, neque illum Episcopatu, multò minus Ecclesiâ movit, quamvis utrinque Roma sese duriolem justo exhiberit, ut sequens caput docebit. Idem hodie etiam esse observandum, res ipsa monet. Dicuntur Evangelici schisma fecisse, seque ultrò ab Ecclesiâ Romano-Catholicâ separasse, ac ideò pro veris Ecclesiæ membris haberi & agnosci amplius non debere. Sed si Acta Seculi antecedentis cum circumstantiis ritè ponderentur, adparebit, Evangelicos non tam schismatis authores, quam patientes dici posse & debere, cum illi nunquam se ab Ecclesiâ verè Catholica separaverint, sed ab Ecclesiâ in specie Romanâ, & quicumque eidem tunc adhæserunt, ob orthodoxæ Veritatis post manumissos errores confessionem, fuerint exclusi ac hodiernum excludantur, quorsum omnis Bellar-

Bellarmini labor in hoc, ut & antecedentibus & consequentibus intenditur capitibus, ne Evangelici ullâ ratione membra Ecclesiâ dicantur. De cætero nullus est Evangelicorum, qui non cum Augustino & hæreticos verè ita dictos, nimirum manifestos, & schismaticos unitatem Ecclesiâ & Christi tunicam nefariè scindentes, sequemet ipsos ab Ecclesiâ, cui adhæserunt, sine causâ separantes, non à visibili solùm Ecclesiâ excludat, sed & regno Cælorum æternæque Beatitudinis exclusos fore judicet, nisi seriâ in tempore ducti Pœnitentiâ, ejuratis erroribus ad se, ipsumque redeant DEUM, ac Ecclesiâ de novo reduniantur. Hinc quidquid Bellarminus in hoc Capite ex Augustino adduxit, non contra, sed pro Evangelicis militat, qui, quod repetendum est, verè Schismaticos neque de Ecclesiâ, neque in Ecclesia esse agnoscunt: utur Bellarminus fateri necesse habuerit, non planè nullos (Romano-) Catholicorum de hoc non solùm dubitare, sed & adfirmare contrarium, quod hic tanquam insigne documentum declamata Unitatis in doctrinâ ex tam ingenuâ Confessione notari omninò debet.

CAPVT SEXTVM,

DE

Excommunicatis.

ET hic in antecessum non planè nihil observandum venit. Distinguendum enim omninò est inter Excommunicationem, quæ dicitur major, & eam, quæ dicitur minor, quam in Ecclesiis Evangelicorum bene constitutis ex antiquo ritu, juxta præscriptum Christi & methodum Apostolicam adhuc observari, nemo nescit. Ut etiam differentia inter Excommunicationem justam & injustam addatur, non est de nihilo neque frustraneum. De injusta ipse Bellarminus agnoscit, *posse hominem excommunicatum retinere Baptismum, Fidei professionem & subjectionem Prælati legitimis debitam, atque adeò esse amicum DEL.* De justa etiam addit, *posse hominem agere pœnitentiâ, & hæc vix ante, quàm absolvat habere, & hinc esse in Ecclesiâ; hæc tamen cum limitatione, talem esse in Ecclesiâ non corpore sive externâ communicatione, quæ proprie faciat hominem esse de Ecclesiâ visibili, sed animo saltem sive desiderio, quod sufficere illi possit ad Salutem, unde annon, sicut paulò ante de Catechumenis dictum, pro excommunicatis etiam possit concludi & per justam deduci consequentiam, eos, imprimis qui minori Excommunicationis gradu sunt puniti, & quibus per Pœnitentiâ patet ad Ecclesiam reditus, et si ab Ecclesiâ externo corpore videantur & dicantur exclusi, & quæ vis vocabuli, extra Communionem Sanctorum & eorum visibilem cæterum rejecti, adeoq; verè excommunicati, adhuc tamen certâ quadam ratione in Ecclesia esse, nullo planè modo dubitandum esse videtur, quidquid etiam aliis videatur. Et si id de justâ Excommunicatione verum est, per se patet, multò magis id de injustè excommunicatis dici debere, quod nimirum rigor ille, cui præter omne meritum subjiuntur, eos Ecclesiæ gremio non excludat, sicut eis quoad æternæ Salutis acquisitionem nocere non potest. Irenæus certe Lugdunensis Præsul suo tempore adeò non laudavit Victoris, Romani Pontificis, in excommunicandis ob Controversiam Paschalem Ecclesiis Orientalibus præcipitantiam, ut potius Eum ob id liberrimè & graviter reprehenderit. Quid in causâ inter Cyprianum & Stephanum Anabaptisticâ sit factum, hæc tamen occasione non semel oblata constitit. Utur enim Stephanus exemplo Victoris præposterè satis Cyprianum cum suis excommunicarit, cæterasque ab Eo separatas voluerit Ecclesias, non tamen obtinuit, quod voluit, Cypriano nihilominus honorem Episcopatus, sicut antea, inter suos constanter obtinente, anathemate Stephani tanquam bruto fulmine eluso & eliso. Sirecentioribus res hæc exemplis illustrari deberet, Gallia ante cæteras orbis Europæi nationes & regna è proximioribus Seculis non unum suppeditare posset. Instar oranium esse potest, quod Petrus de Marcâ, ArchiEpiscopus non ita pridem Parisiensis, in laudato superius non semel de *Concordiâ Sacerdotii & Imperii* opere, de Bullâ, quæ à die promulgationis annuæ nomen habet, & non nisi anathemata & Excommunicationis fulmina in univèrsam quæ patet orbem Christianum, contra quoscunq; Rom. Pontifici inobedientes aut quacunq; ratione univèrsali Ejus in Spiritualibus simul & temporalibus regimini contrarios, indebita liberalitate spargit & emittit, pro ratione Status Ecclesiæ Gallicanæ & prætensarum Ejus libertatum monet, nimirum, *etiamsi in eâ anathema.**

vid. D.
Carpzov.
Hag. pag.
87.

vid. D.
Dannh.
Christ.
Act. I.
pag. 482.

lib. III.
cap. 10.
pag. 178.

thema.